30

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PHTHISI.

QUAM
PRÆSIDE
ARCHIATRO COELESTI
Conſenſu & Authoritate
NOBILISSIMÆ ET GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN INCLYTA ACADEMIA ARGENTORATENSI
PRO LICENTIA
Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Doctoralia rite conſequendi
Publico Eruditorum Examini ſubmittit

STEPHANUS CASPARUS Pertſch/
Barutho-Francus.

Ad d. 8. Menſ. Martii. M. DC. LXXXV. hor. locoq́. ſolitis.

ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS WELPERI.

PROOEMIUM.

QUamvis omnes ſanitati ſtudere, eandẽ ſartam tectam ſervare ac labefactatam reſtaurare cupiant, Medicos etiã advocent, illorũ conſiliis fruantur ac tandem Remedia propinanda non eludant; tantum tamen abeſt, ut ſemper id quod debent, legitimè exſequantur. *Hippocrates* id jam prævidens in limine Aphoriſmorum exclamavit: Neque vero ſatis eſt ad ea, quæ facto opus ſunt, præſto eſſe, ſed & ægrum & eos, qui præſentes ſunt, & res externas ad id probe comparatas eſſe oportet. Econtrario & Medici peccant, qui, ſi de Morborum eventu judicium afferre cogantur, ſtatim omnia deſperata pronuntiant ægrumque moriturum, ſive mors ſequatur, ſive reconvaleſcat, prædicunt; aut alii in morbis periculoſis majorem ſpem promittunt ac illos curabiles proclamant, morte licet mox ſubſecuturâ. Utriq; ſuos committunt errores: illi ſuos fere deſperatos, hi contra nimium ſecuros reddunt. Medio ergo tutiſſimus ibis. Quali prognoſtico Phthiſis, exiſtentiâ periculoſa, adſpectu tragica, cujus materiam, ſæpius in praxi occurrentem, pertractandem ſumſi, conceſsâ prius

 poſt

poſtExamina exantlata àGratioſiſſimaFacult.Licentiâ, digna videatur, dubius fere hæreo. Bene ergo omnia conſideranda & nil temere pronuntiandum erit. Videamus ergo, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Nam in magnis & voluiſſe ſat eſt. Juvet conatus hoſce DEUS TER OPT. MAX., Spiritus S. gratia quotidie me illuminet & faciat, ut omnia in ſui Nominis laudem, proximi ſalutem & emolumentum vergant.

§. I.

PHthiſis ἀπὸ τοῦ φθίνειν, h.e. conſumendo dicta, eò quod hoc morbo detenti contabeſcant, eſt exulceratio ſive ulcus pulmonum, conjuncta cum tuſſi, ſputo ſanguinolento ac purulento, difficili reſpiratione, anhelitu oris fœtente, contabeſcentia corporis, virium defectione atque calore hectico.

§ II.

Hâc ipsâ definitione diſtinctam volo phthiſin ſpuriam & generali vocabulo ſumtam, quatenus quamcunque tabem (quæ vel univerſalis totius ſcil. corporis, vel particularis partis alicujus) quacunque de cauſa & occaſione ortam notat, ab illa, quæ ſpecialiter & propriè ulcus pulmonum innuit. Cauſæ enim inferius numerandæ & ſigna jamjam allata, affectum hunc ab atrophia ſive tabe optime diſtinguunt, & ni hoc fieret inſignis in cura committeretur error; hinc rectius etiam per vocabulum Germanicum **Lungenſucht**/ natura hujus morbi optime exprimitur.

§. III.

Sumto igitur termino hocce κατ᾽ ἐξοχὴν, & ut obtinuit uſus apud Medicos, lubet ulterius diviſiones ejus melioris curationis ergo tradere. Dicitur enim alia à modo generandi congenita ſive hæreditaria, quæ à parentibus cum ſpiritu ſeminali hæreditario jure in hæredes propagatur, diuque in corpore idea phthiſica latens ac demum quacunque data porta vel occaſione erumpens, triſtes ſuos effectus exſerit; alia adventitia, quæ poſt ortum variis de cauſis ex vitio corporis proprio hominem invadit, variasque denominatio-

es pro cauſarum diverſitate ſortitur. Et hinc idiopathetica, cu-
us cauſa in pulmonibus exiſtens in illis etiam eſt genita : vel ſym-
athetica, quæ ab aliis partibus cauſam communicatam accepit,
c pulmones vitio proprio non laborarunt, v. gr. à pure pleuriti-
orum, empyematicorum &c.

§. IV.

Hic rurſus alia ratione temporis ac durationis confirmata, (ita
amen ut & gradus hic admittendi ſint) ac diuturna eſt, in qua
d ἀκμὴν omnia venerunt facieſque Hippocratica ſe nobis oſten-
lit; incipiens vero ac recens in qua ſigna mitiora minuſque terri-
ica ac conſumtio mediocris apparent; hinc alia intenſior alia re-
niſſior. Ratione modi invadendi alia præceps, cita, intra brevem
emporis terminum corpus conſumens; vel lenta, lento gradu in-
edens.

§. V.

A ſubjecto aliam dicunt, quæ dextram pulmonum partem
nfeſtet, aliam quæ ſiniſtram tantum occupet; vel profunda ſit, vel
minus talis. Addunt his alii diviſionem ratione ſexus & ætatis, quæ
amen minus neceſſaria eſt, cum neuter ſexus & ætas ab hoc malo
iber ſit.

§. VI.

Cum vero quivis morbus ſubjectum aliquod cui inhæreat &
in quo ſuſtentetur deſideret curatioque minus felix ſuccedat, ni
cognitio partis affectæ probe conſtaret, hinc neceſſum duco pau-
cis illud intimaſſe. Eſt vero hoc pulmo ſive pulmonum veſicu-
laris ſubſtantia. Conſtant enim hi ex veſiculis plurimis ac apti ſunt
pro recipienda materia purulenta eâque retinenda; hinc illi, qui-
bus à nativitate tenera ac mollis eſt conceſſa pulmonum textura de
facili hâc in parte læduntur. Nec aliud ex ſectione cadaverum
pluries tentata, ac obſervationibus *Schenck. Lib.II. obſerv. 1.* (qui
materiæ purulentæ, nec non admodum fœculentæ, putis inſtar
liqueſcentis, exiguâ ſaltem pulmonum ſubſtantia ſuperſtite, ingen-
tem copiam invenit) *Plateri Lib.II.obſerv.V.* illuſtrata, colligere
licet. Manifeſtant hoc etiam ſymptomata, in phthiſi præſentia, dif-
ficilis nempe reſpiratio, tuſſis ac purulentorum exſcreatio &c. Per
conſequens vero cum reliqua viſcera ſucco nutritio vitioſo imbu-
buantur ac nutrimento debito defraudentur, non poteſt non quin
corpus deniq; totum extenuetur. Excluduntur hîc ventriculus &
glandulæ meſenterii, quæ Clariſs. Barbette in praxi ſua pro vero

 ſub-

ſubjecto phthiſeos habet. Reprehendit hunc errorem jamtum Deckerus in notis Barbettianis, hinc refutatione ulteriori non dignus erit.

§. VII.

In cauſarum dignotione qui certus, ille in methodo medendi ac curanda phthiſi erit certior. Cognitâ enim cauſa, facilior etiam ſubſequitur cura. Ab hac enim tota curationis pendet felicitas & ſine qua Medicus facile fallatur & fallat. Hinc conducit eas rimari ac brevibus explanare.

§. VIII.

Proximæ vero cauſæ vicem gerit pus acre, in pulmonibus generatum, ſive aliunde eò delatum, ſubſtantiam pulmonalem ſenſim corrodens & exedens, ulcusque efficiens. Generatio vero ejus non aliunde niſi ab humore corrupto (talis enim facile alium genium recipit ac in ſaniem abit) vel à ſanguine extravaſato in pus converſo. Prius contingit, quando humor peccans cum maſſa ſanguinea, eò deportatus inſpiſſatur ac ibidem ſtagnans, tractu temporis diuturniori, corrumpitur ac putreſcit. Sic latex aquoſus multis acribus particulis ſcatens, vel ibidem longiori mora acredinem acquirens, à capite ad pulmones delapſus illosque accedente tuſſi moleſta exulcerans, pus producit. Poſterius fit à ruptione vaſorum, hinc ſanguis qui mature non excernitur, in pulmonibus ſubſiſtens, fit acris, putreſcit & in pus mutatur vicinasque partes exedit.

§. IX.

Non mirum igitur ſi poſt febres præpr. malignas, variolas, ac alios morbos ſequatur phthiſis, materiâ peccante, in pulmone ſtabulante, relictâ vel per ſudorifera fortiora, recto tempore non adhibita, in maſſam ſanguineam fuſa & non iterum expurgata; ſic enim inibi perſiſtens, vellicando, rodendo ac exulcerando, pus efficit.

§. X.

Ex eodem fundamento ſcorbutici huic malo ſunt obnoxii, quatenus ſalium abundantia (pituitâ quandoque referta) à cauſa externa in furores exagitata, quantitate & qualitate exceſſivâ pulmonibus noxam affricat tandemque exulcerationem inducit.

§. XI.

Catarrhorum, (quibus ſcorbutici expoſiti) præprimis acrium, in pulmones deſcenſus, quatenus vel tuſſes excitat, vel acrimoniâ exceſſivâ organumr, reſpirationis, rodendo, exulcerando, lædat,

dat &c. uti *Panarol. Pent.II. obſ.31. ac River. in ſuis obſerv.* exempla ſuggerunt, à numero cauſarum minime excludendus, cum ſæpius huic malo ortum dent, aut comites ſint.

§. XII.

Spectant huc externa irrumpentia, vel ab extra illata, (hinc cauſarum non naturalium vel externarum claſſem conſtituere dicuntur) ut aër Romanus (*juxta Panarol. Pent.III. obſ.16.*) vel Anglicus (*referente Williſ. in pathol. c.6. de phthiſi pulmon.*) valde noxii proclamantur. Sic qui deſtillationibus aquæ fortis nimis indulgent, ut & Metalli foſſores Mercurialium ac Arſenicaliũ, Stannarii, Murarii &c. phthiſicā diſpoſitionem facile incurrunt; hinc & perhibent, ne quis in conclavi, recenter calce obducto, dormiat; ſicut Hæferus Herc. Med. à calcis exhalationibus acribus, corroſivis, extinctum murarium novit.

§. XIII.

Pertinet huc etiam potus acidularum, præcipuè vitriolicarum hauſtus intempeſtivus, qui in ſubjectis, ad phthiſin prædiſpoſitis, maxumopere nocet. Medicamenta acriora ab imperito & certo tempore &c. non adhibita idem effecere; uti obſervationes hac de re ſolemnes ubivis proſtant.

§. XIV.

Nec mirum inquam, ſi ſanguis extravaſatus, ac non ſufficienter expectoratus, ſucceſſu temporis, hoc ulcus relinquat. Teſtantur id Hæmoptyſes; V. obſerv. *Schenk. l.c. Plater. L.III. Rolfinck. L.I. diſſert. cap. 13.* Huc trahenda omnia, quæ ruptionem venarum in pulmone excitant, caſus ab alto, fluxus ſanguinis conſueti ſuppreſſi, menſium &c. ut & plethora, ſive ad vaſa, ſive ad vires; (ſcorbuticis familiaris ac hæmorrhag. Nar-producens,) unde *Hippocr. l. de Aëre Aq. & Loc.* hanc à partu frequenter contingere ſcribit: violentia enim rupturis & vulneribus prehenduntur: *Plater. Tr.3. prax. L. II. cap. 8.* diſruptionem vaſorum, ob ſummum ſæpe conatum, qui in lapidibus locomovendis adhibetur, accidere autumat.

§. XV.

Non excludenda hic tuſſis fortior, quæ ſæpe ſola occaſionem dare poteſt; cum ob continuum motum cellulæ pulmonum facile rumpantur, ac ſanguini exeunti reliquæ ſpatium largiantur & ſic extravaſatus, ſuppuratus, ulcus generat. Hinc omnia ea, quæ tuſſim

exci-

excitare ac vaſa rumpere ſolent, ut clamores fortiores, inflatio tubarum vehementior &c. (quæ tamen nonniſi in debilioribus locum habent,) ſub hunc cenſum veniunt.

§. XVI.

Vomica, quæ plerumque inſtar abſceſſus primum occultatur in pulmonibus, exque peripnevmoniâ ſuppuratâ ortum ſuum ſæpius ducit, rupta ac hinc apertum ulcus, phthiſin gignit; tunc vero purulenta per os rejiciuntur; at ſi materia hæc purulenta ruptis capſulis in thoracem effuſa colligatur, empyema nominant.

§. XVII.

Reſtat nunc ut dicam quomodo ab aliis partibus morbi initium fiat. Per metaſtaſin ex ulcere meſenterii pulmonum ulcus fuiſſe ortum, annotavit *Horſtius*, ex Apoſtematibus Abdominis, Uvulæ, Oris, Aſperæ arteriæ &c. idem notarunt alii. Sed propius accedunt ii, ſtatuentes, empyema (quod quandoque phthiſis antecedit obſervante *Plater. L. III. obſerv.*) mutari in phthiſin, cumprimis qui empyematis ſigna diagnoſtica non rectè attendit, nec curam eò dirigit. *Hipp. S. Aph. 8. 10. & 15.* nobis memoriæ loco reliquit dicens: Qui ex pleuritide empyici fiunt, ſi à ruptione non liberantur, intra 40. dies ad tabem tranſeunt. Ex pleuritide vero ſuppurata ac materiâ non evacuata, ſed ad thoracem, diaphragma, (ad quod ſæpius ablegatur hinc empyema) & tandem pulmones delata, illud fuiſſe exortum, demonſtrarunt *Horſt. L. I. de Morb. Tim. Ep. pag. 658. Helm. Tr. furens pleura §. 29. 30.* inquiens: phthiſis expectanda ex pleuritide, niſi hæc perfectè curetur. Sic ab Angina liberatos, phthiſicos reddi, *Hipp. S. c. A. 10.* aſſerit.

§. XVIII.

Ex his allatis cuivis conſtabit quod omnia, quæ ulcus hoc inducere valeant, ſub cauſarum numero contineantur, ita tamen ut aliæ propinquius, (pus ſcil. huic viſceri infundentes) aliæ remotius, (materiam ad pus producendum, præbentes,) hocce munere fungantur, remotiſſime tandem, & quæ titulo cauſarum non-naturalium inſigniuntur ſunt Aëris inclementia autumnalis, hiemalis &c. cibi crudi acriores ſolito redditi, aromatizati, immodica ingurgitatio vini meracioris &c. quatenus ſanguinem ad morbum hunc generandum diſponunt.

§. XIX.

§. XIX. Ab hæreditate ortum ducere poſſe, affirmant fere
ınes. Uti enim ex epileptico epilepticus, ex ſcorbutico ſcor-
ticus &c. generetur, ſic ex phthiſico phthiſicus. Semen nam-
e à ſanis ſanum, à morboſis morboſum communicari ac per i-
s morboſas in liberos transferri, (ita tamen ut demum ſucceſ-
temporis ſuos exſerant effectus ac viſui ſiſtant) quotidianum
Fernel. lib. 5. παθολ. cap. 10. expreſſis id innuit verbis dicens:
ı tabida ſtirpe ſati ſunt, quaſi hæreditario jure omnes neceſſario
eſcunt hocque malum ſæpius vidimus in omnes ejuſdem fami-
ordine graſſari.

§. XX. Ulterius pergunt alii phthiſinque confirmatam con-
ioſam credunt, ita ut per halitus, per ſudores, &c. propagari
ſit. Exemplo proprio hoc confirmat *Hartm. in praxi*, teſtan-
& idem *Schenck. Lib. II. obſ. 1. River. C. obſ. 35. & 39. Sal-
th. C. 3. obſ. 64. Barth. C. 2. Hiſt. 64.* Negat id vero *Jach. in 9.*
. nullumque, qui contagio perierit, ſe vidiſſe dicit. Fallacias
ı cauſæ ut cauſæ ſæpius in Medicina committi, non eſt rarum;
n & idem hic fiat, mihi perſuadeo.

§. XXI. Signa nunc tradam diſtinctionemque civitate Me-
a donatam, illorum in diagnoſtica & prognoſtica meam faci-
, ut diagnoſis ac prognoſis eò melius haberi poſſint.

§. XXII. Quæ affectum hunc demonſtrant, ſuperius §. 1.
a ſunt, eaque non diſtributive, ſed potius collective accipien-
erunt; in incipiente tamen ſæpius diffic. Reſpiratio, Tuſſis ac
ris excretio &c. diagnoſin conſtituunt. Et quis non præſagiret
hiſin, ſi poſt febb. Mal; Variol. Hæmopt. Pleurit, &c. tuſſis re-
neret cum corporis extenuatione & lenta febri, nullaq; remedia
ɔpinarentur. Sic qui ſæpius catarrh. delapſum in pulm. ſentiunt,
ſim hum. vel ſiccam ſæpiſſime experiuntur, non omni periculo
ant, ac bene ſibi cavent ne hanc incurrant. Quod ſi vero con-
nata exiſtat ejus ſigna adeo ſunt manifeſta, ut ſenſubus pateant,
de illa nullum amplius reſtet dubium, præprimis ſi ultimo, tan-
ım comites, accedat catarrhorum defluxus continuus, ſudores
cturni colliquativi, pulſus languidi, pilorum defluvium ac facies
ɔpocratica; oculi ſcil. cavi, tempora collapſa, naſus acutus, co-
faciei pallidus, lividus &c. uno verbo nil

— *Gelidæ niſi mortis imago.*

§. XXIII. Prognoſis ſive morbi eventus eſt incertus ratione

morbi, cauſarum & ſymptomatum. Et uti hæc variant,ita & hocce præſidium medendi. Incipiens enim facilius, confirmata difficilius curatur; imò hanc ultimam incurabilem pronuntiant, adduntque experientias ac rationes exin deductas,dicatque ipſe *Tim. L.2. Ep.2.* ſe in tota praxi,quam 37. annis exercuerit,neminem,ulc. pulmon. affectum, curaſſe, etiamſi nil intentatum reliquerit, quod ad curam hujus mali fecerit. Huic vero obſtat alia & multivaria à *Schenck. L.II obſ.14.* allegata, quam & ipſe *Tim.* in dubium vocare neſcit. Rationibus, à *Cratone Conſil.86.* ac *Tim. l.cit.* adductis, repugnat experientia, quæ ſola ſæpius plus roboris habet quam 10. argumentationes; nec & his pro parte affirmativa deſtituimur, ſi rem accuratiori mentis lance perpendamus ac contrarietatem illam, ſi tempora & omnia bene diſtinguantur, optimè conciliari poſſe, aſſeramus. A cauſis vero, ſi prognoſtica facienda, periculoſiorem nuncupamur illam,quæ hæreditaria, idiopathetica & majorem læſerit pulm. ſubſtantiam, quamque catarrhi continui ac aliæ cauſæ externæ comitantur. Symptomatum vero graviorum ac plurium concurſus, timorem injicit majorem graviusque reddit malum; aſt quo pauciora & mitiora, eò levius ac minus confirmatum exiſtit. Si convulſiones ac hæmoptyſis, (à vaſorum majorum eroſione) accidant, mors in olla. Quibus vero diarrhæa pertinax ſupervenit, iis ſimiliter mortem prædicere licet aſſentiente *Hipp. Aphor.12.S.5.* Tempus vero mortis ſubſecuturæ certum deſignari nequit; alii enim tardius, alii citius vitæ ſuæ curriculum abſolvunt; in nonnullis ad annum,in aliis ad breve temporis ſpatium extenditur. Variat illud ratione ægri, medici,adſtantium,ſymptomatum &c. ac uti hæc ſe habent,ita etiam illud determinant,certitudo tamen exacta illius, in quo ex vita hac mundana transmigrandum haberi haud poteſt.

§. XXIV. Antequam curam aggrediar, operæ pretium duco modum proponere,quo affectus hic periculoſus evitari ac præſervandi medela legitima obtineri poſſit. Intenderunt idem *Alexand. Maſſar. Medic. Præct. L.2 cap.7. Z. Luſit. de Med. princip. hiſtor. L.2.2. hiſt.36. Rondelet. meth. cur. morb. L. 2.c 12.* qui maximum rei in eo ſitum judicant, ut ſi fieri poſſit,tam pernitioſus morbus præcaveatur. Nec ſine cauſa. Multi enim fruſtra agerent ſuas querelas, ac ſi actu phthiſici nondum ſint à ferino hoc malo citius præſervarentur, obſequentes ſi ſeſe geſſerint.

§. XXV. Cum vero cauſarum diverſitas medicamenta diverſa expo-

poſtulet, ſciendum hic, quod ſi phthiſis metuatur, vel ab hum.
ribus, v. gr. Scorb. Artrit. &c. ad acrimoniam horum obtunden-
am, abſorbendam, præcipitandam ac eliminandam adhiberi poſ-
nt dulcia, terrea, ſalia fixa & volatilia, purgãtia; ſi catarrhi frequen-
s ſint eadem uſurpent aut in uſum trahant talia, quæ fluxum hunc
ivertunt, e. gr. veſicatoria, purgantia &c. vel quæ ſiſtunt; dulcia ſc.
)leoſa, Crocata, Papaverina, Opiata &c. aut ſerum ſuperfluũ eva-
uent, ut Anti-Catarrhalia propriè ita dicta; Saſſafr. Sarſaparill. Gua-
ic. (cujus decocto c. Analept. phthiſin incipientem curatam, re-
erunt *River. c. 1. obſ. 99. Schenck. l. cit.*) Aſt cum ſæpius ab hiſce
tiam ſuſtentetur ac foveatur phthiſis, lubet paucis hic annectere
icendo, quod Salia volat. ut ſpir. Salis Armon. CC. Liq. CC. ſuc-
inatus &c. ac cætera acria Anti-ſcorbutica ac Catarrh. (generoſa
c optima alias remedia) hic exulare debeant; ab horum enim uſu
Hæmoptyſin non raro ſecutam fuiſſe, experientia nos docuit.) Se-
gantur ergo potius & nunquam omittantur mucilaginoſa, in-
raſſantia, Rad. Chinæ, Gumm. Arab. & Tragac. Sem. refriger.
Amygd. Dulc. Pineæ, Piſtaciæ, (quæ pulverem Haly contra
hthiſin laudatiſſimum potiſs. conſtituunt) Gelat. CC. Ebor. Lac.
&c. Hoc enim modo uni cum proſumus, alteri non nocemus.

§. XXVI. Quod ſi poſt febb. Mal. &c. materia vitioſa in pulm.
elicta læſionem introduxerit, auferenda hæc erit. Fiet id vero per
expectorantia incidentia ac acrimoniã corrigentia, v. g. Herb. Verõ.
Scabioſ. Tuſſilag. Conſ. Roſar. Lign. Saſſafr. Radic-Chinæ Lap.
♋. addito parum Symphyt. Maj.

§. XXVII. A potu acidularum quilibet ſibi cavere poteſt, qui
ſæpius tuſſi ſicca vexatur ac ad phthiſin (hac enim jã præſente nullo
modo conducerent) inclinat; quod ſi tamen error admiſſus f. Ter-
rea abſorbea &c. ſuam collatura erunt opem. Sicut & odores ar-
ſenicales &c. vitet, qui noxam horum conſciam habet, vel dam-
num jam ſentiit; cui tamen hoc non integrum, illi nec grave erit in-
craſſantibus cum expectorantibus uti, ſicut & lactis potu re-
petito. Eligat Aërem purum qui poteſt, & locum mutet, aut me-
dicamenta adhibeat. Chymica nonniſi à prudenti Medico petan-
tur, aliis vero minime quis fidat. Error vero commiſſus citò, &
prout effectum reliquerit, per appropriata corrigatur; hoc tamen
in morbo omninò abeſſe poſſunt.

§. XXVIII. Qui Hæmoptiſeos curam arte decenti inſtituit,

 ille

ille in periculo phthiſeos minime verſatur. Sicut vero in hac ex pulm. vitio exorta inepte V. S. (quam tamen triplici vice in quodam cognato adminiſtratam audivi) adhibetur, ita optime præcæteris in phthiſ. Hæmoptyſi probatur ſuccus Urticæ, Rad. ſymph. Maj. plantag. Hed. Terreſtr. Chærefol. Petroſel. (quæ ſimul expect.) Burſa Paſtor, Tarax. &c. & ſi æſtus urgeat, Portulaca atque Endivia cum Sach. ♄ni.

§. XXIX. In caſu vero ab alto (etſi rarius hic anſam det) reſolventia potius propinanda, ut Lap. ♋. Sperm-Cet. Rub. Tinct. Major. Roſmar. ♁. Diaphoret. &c. ac alia plura. Quod ſi enim caſu ab alto laboranti, v. gr. Hæmoptoico, dederis Flor. Sulphuris ac alia Sulphurea, ſanguinem congrumatum collectum non evacuabis, ſed phthiſin excitabis.

§. XXX. In menſium ſuppreſſ. cum ebullit.: ſanguinis, palpit-Cord. ac æſtu &c. uti & in plethora præpr. ad vaſa, nullum melium Rem. excogitari poterit, quam ipſa V. S., ita ut reliqua menſes pellentia acria promiſcuè locum non inveniant.

§. XXXI. Tuſſis vero præprimis ſiccæ, cum non levem metum primariò in Scorbut. pariat, (etſi ſignum ſolum haud præbeat, uti proſtans in *A. N.C. Ann. VI obſ VI* id demonſtrat.) cura breviſſimis apponenda. Humida enim ſi fuerit & materia non ſufficienter expectorata, incidentia (ſpeciali nomine hic explorantia dicta,) v. gr. Hyſſop. Pulmonar. Marrub. alb. Rad. Helen. Angel. Irid. Flor. Mech. ac Spr. Salis Armon. Aniſat. &c. adhibeat, ſicut in ſicca, incraſſantia, Lycopod. Maſtich. Flor. Sulph. Bol. Arm. dulcia ac Crocata. Eadem hæc, facto tamen prius ſelectu, locum habent in phthiſi; nec hæc curabitur niſi pus excretum f.

§. XXXII. Ad Vomicam (quæ collectio puris in capſula eſt) remedia ſunt optima, Dct. Braſſicæ rubræ, Marrub. alb. Roriſmar. Sem. Carv. Fænic. Rad. Polypod. Crocus ac ſucc. ♋. Fortiora ubique tuta non exiſtunt, ne ruptâ vomicâ lethalis ſequatur Hæmoptyſis. Hinc & vomitoria adhibita, rumpendo abſeſſum, ulcus pulm. faciunt V. A N. C. Ann. III.

§. XXXIII. Ulcera Abdom. Uvulæ &c. Rem. mundificantia, detergentia ac conſolidantia poſtulat; ſi vero nullus error in cura admiſſus fuerit, nec phthiſis tanquam conſectaneum timenda erit.

§. XXXIV. Empyematis, quod ex fluctuatione puris, quæ in

Ulc.

Ulc. pulm. non eſt, & dolore (quo ipſo ab Hydrope Thor. diſtinguitur,) cognoſcitur, medela per eadem, quæ §. XXX. adducta, perficitur, ac per diuretica c. urin. pus copioſius evacuatũ viſitur.

§. XXXV. Pleuritis ſi jam adſuppurationem pervenerit fruſtra ſudorifera expectat, ſed potius Expectorantia, Farfaram, Scabioſam, Majoran &c. ac td. Nicotian. (ſed cum grano ſalis) expetit.

§. XXXVI. Diætam bonam ac corpori non nocivam amet, inque uſu ciborum nimium ſalitorum, aromatizatorum, ac vini acidioris non excedat, qui ſcorbuto vel catarrho ſæpius affliguntur; in dies enim materiam vitioſam accumulant, ac malum eò citius accerſunt. Conduceret vero Diuretica (hinc Spirit. Salis Armon. apud multos ſolemnis & magni æſtimatur) quandoq; interponere, quæ illam eliminando per urin. faciunt, ne natura ab hiſce aggravetur, ſed ſublevetur ac ſic ipſamet eò citius reliquam expellere poſſit.

§. XXXVII. Qui parentes morbo hoc detentos ac illo mormortuos novit, hic legitima fruatur diæta, affectibus animi repugnet ac animo audaci illam ideam eludat, aut ſtatim medicinâ occurrat, ſi malum hoc in actum productum ſenſerit.

§. XXXVIII. Qui malum hoc contagioſum credit, ille converſationem horum ægrorum ſubterfugiat, ac liberiorem Aërem quærat, aut præſervantia juxta Hartmannum aſſumat.

§. XXXIX. Nunc ſeſe offert, (ſignis benè perſpectis) præſentis phthiſeos cura. Quibus vero nitatur indicationibus (tanquam ſtatuis Mercurialibus) afferam, ut hiſce cognitis Medicus practicus audacter morbo obviam ire ac medicamenta debita propinare poſſit, ne ſic naturæ reluctetur, ſed potius eam juvet, & ut eorum adminiculo illa vires ſuas exerere, ac ſanitas priſtina recuperari queat.

§. XL. Curatoria (præſervatoria enim jamjam monſtrata) reſpicit tum ulceris, tum ſymptomatum ablationem; ita ut pus ſit expectorandum, ulcus mundandum, abſtergendum ac tandem conſolidandum. Illa vero, quæ magis urgent primò corrigenda (ſi ſcil. non ab ulcere foveantur) ac ſi fieri queat tollenda, ne in curando ſint impedimento.

§. XLI. Ad hos vero indicationem ſcopos attingendos & implendos triplex auxiliorum genus ſe ex methodo Therapevtica, Pharmaceuticum nempe, Chirurgicum & Diæticum ſiſtit.

§. XLII. Sed ad rem. Expectorantia ad puris præſentis reje-

 ctio-

ctionem primas gerere dictum. Gaudent vero his qualitatib[illegible] blande reſolventia, (excluſis Hb. Angel. Leviſt. &c &aliis acrio[illegible] bus &c.) e. gr. Hed. Terreſtr. Tuſſilago, Scabioſa, Hyſſopus, Ra[illegible] Helenii, Polipodii, Glyzyrrhiza, Betonica, Ruta, Salvia, Pulmonaria, Pimpinella, Conſerva Roſar. Crocus, uti & paulo fortiora incidentia Lign. Guajac. Saſſafr. Sarſapar. &c. quæ tùm conveniunt, quando totum corpus pituitoſum eſt, ac imprimis cum à Capite Catarrhi ſæpius deſtillant. Sic notandum hic venit quod Sulphur. in principio morbi, ubi abſtergendum & expectorandum, huic ſcopo non inſerviant. Hoc pro monito nobis reliquit Hartmannus in praxi, communicavitque Arcanum, ex Hb. pectoral. c. Aqu. pluv. menſe Martio collecta fermentatis, quô derelictus curatus fuerit. Idem fecit *Timæus Lib. II. Ep. I. ac L. III.* qui Aqu. pectoral. c. Syr. de Liquir. Capill. ♀. ac melle expectorantia ac abſtergentia ulcus vocat.

§. XLIII. Succedunt his vulneraria ſive conſolidantia ad conſolidationem ulceris facientia. Inter hæc primas offerunt Sulph. dicitq; Sylv. Pract. Celeberr. nullum ſe hactenus reperiiſſe medicamẽtum, quod vel externe vel interne uſurpatum, citius tutiusque non tantum mundaverit, ſed inſuper conſolidaverit recentia ulcera, atque Sulphur. Balſamum. Huic vero accedant Flor. Sulph. juxta *Foreſt. Lib. 16. obſ. 15.* Lac. Sulph. juxta *Crollii Baſil. Chym. p. 201.* Balſ. Sulph. Aniſatus vel Terebinthi natus, Aqu. calcis vivæ, (quæ in Extern. Ulc. Chirurgorum meritò arcanũ audit ac ad Ulc. Int. v. gr. Renum maximo cum ſucceſſu adhibetur, quam & Benedictus in Theatro Tabidorum ad ℥V. propinare ſuadet) Symph. Maj. & ejus Syr. à *Fernel. M. M. Lib. 17.* commendatus, Conſol. media, Plantago, Petroſel. Millefol. Flor. Hyperic. Lil. alb. &c. Sic Gummata hæc v. gr. Arab. Tragac. (quæ pulverem Haly laudatiſs. jam citat. conſtituunt,) ut & Bol. Armen. Rad. Chin. Petroſelinum, (quod inter decoquendũ ob particulas gumoſas ſpumeſcit &c.) ac plura alia; glutinantia audiunt, Lac vero ac pinguedines huc referenda, laudes debitas merentur, hac tamen cum cautela ne acida ſuperbibantur vel diarrhæa præſente, adhibeantur;

§. XLIV. Uti vero purgantia fortiora proſcribimus ſic leniora admittimus. Exulent ergo Reſin. Gialap. Scammon. &c. & cætera, quæ fortius operando humores turbant, Feb. Hect. augent, corpus magis magisque exſiccant, ac vires depauperando malum malo

malo addunt. Miror etiam, quod Clariſs. Sylv. ☿lia commendet, cum exulcerat: majorem pulm. afferant. Uſurpentur E. leniora (ſimul expectorantia) Rad. Polypod. Mechoacann. Fol. Senn. Crocus. &c. quæ pulm. ab onere puris levant ac materiam è corpore eliminant. *Riv. c.1.obſ.3.* in phthiſi cum Catarrh. eadem extollit.

§. XLV. V. S. (generoſum alias remedium) hic fugienda ac nullo modo admittenda; liquorem enim vitalem exhaurit, cauſam vero morbi haud tollit. Et ſi æſtum febr. contemperat, adſunt tamen alia contranindicantia, quæ id non permittunt. *Foreſt. L.4. obſ.6.* refert, quod cum V. S. per Empiricum in fœm. Nob. ex Hectica decumbenti, adminiſtrata f., illa paulo poſt obierit. Revulſoria v. hic ſuadent medicamina fontanellas, veſicatoria ac ſetacea, &c. quibus ſeroſus latex educatur & revellatur. Quæ quidem, ni adſint prohibentia, tolerari & admitti poſſunt, ita tamen, ut ſtatus ægri bene cognoſcatur, ac cauſa morbi unicuivis rectè conſtet.

§. XLVI. Si ullo in morbo recta diæta tenenda & quid præſtare poteſt, in hoc præſtabit plurimum; facit enim ne vires ulterius decrementum ſumant, cauſæ morbif. ſuccendiculum addatur & ſymptomata exacerbentur.

§. XLVII. Aër igitur non ſit nimis calidus, frigidus &c. ſed temperatus, ſerenus ac mitior: cibi ſint euchymi, eupepti, abſtergentes, refrigerantes; laudat hic *Tachenius* cymas Braſſicæ Aq. bulliente tabefactas: Potus ſit tenuis ac medicamentoſus ex Dct. Hordei. ſero Lact. Rad-Chinæ, Paſſul.; vinum generoſum cane pejus & angue fugiat, aut vinum aquoſ. & valde dilutum juxta *Sylv. L.I. prax. cap 32.* bibat. Motus intra mediocritatis limites non ſervatus celerior ſc. &c. malum hoc deterius reddit. Uti vero hic nimius maximam Spir. & Hum. inſtituendo agitationem valde nocet, ita etiam quies immodica idem efficit, quatenus Spir. digeſt. præſides abarcet & excretionem puris obtundit. Sic etiam ſe habet cum vigiliis & ſomno, quatenus vel in exceſſu, vel defectu peccant. Animi παθήματα ſummo ſtudio moderanda; animo hilari æger vivat ac iram ceu venenum fugiat, manifeſto enim ſymptom. præpr. Cal. Hect. auget, uti id obſervavit *Sylv. l. cit.*

§. XLVIII. Deducimur jam ad ſymptomatum reliquorum remotionem. Contabeſcentiæ (quæ ab humoris nutritii mala conſtitutione & acrimonia) vero corporis ſuccurritur, p. diæta, cibo & potu nutritivo, juſc. vel Dct. Gallinar. Lacte, p. medicamentis nutrientibus Emulſ. Amygdalatis, Paſſul. maj. & minor, Caricis &c.

& aliis. Vix tamen ceſſabit, vel ſublata erit ni prius M.S. pure acri refertæ temperies reſtituta, & hoc eliminatum fuerit.

§. XLIX. Virium vero reſtaurationi conſulunt Aqu. Flor. Borrag. Bugloſſ. & O. Cordial. frig. ut Aq. Cord. frig. Mynſ. Syr. Fl. Tunic. Confect. Alck. Ambr. (minori quant.) mat. Perlar. Margar. Butyrum ejus, Lap. ♋. os de CC. Antiheċt. Pot. &c. poſſunt & fieri. emulſ. ex refrig. Sem. ac Aqu. appropr. Calida enim & acria, ut Aqu. Cinam. Eſſ. Perlar. &c. Analeptica alias egregia, effectus ſperatos non dabunt, quamquam quidam Spir. Sang. Hum. ad cœlum uſque extollant, uti alii ejus Aqu.

§. L. Febris Hectica, poſt paſtum præpr. affligens, appropriata ſemper poſtulat refrigerantia, incraſſantia ac quandoq; humectantia. Conducunt hinc Aqu. Sperm Ran. Lactuc Nymph. Sem. 4. frig maj c. Pap alb. Sem. Alth. portulac. & ex his paratæ Emulſ. Gelat. CC. ac Eboris, Gummi Arab. & Tragac. Succ Cancr. Fluviat. Dct. Plantag. Alſinæ Veron &c. Lac ſecundum *Piens. Tr. de Febb.* 2. *c.* 4. ut & Antiheċt. Poter. ac Lap. Cancr. præ omnib. vero Vitriol. Dulc Anod arcanum Nobiliſs. D. D. *Rivini*, Præcept. æſtumatiſs. Hic vero ſilentio haud prætereundum, quod nempe illi, qui virium reſtauratione per calida, Ol. Perlar. ſpir. S. Hum. CC. &c. intendant, eò ipſo calorem p n augeant. Nec illi laudes merentur, qui praxin theoriæ falſo conceptæ accommodant ac ad obſtructionem tollendam &c. Eſſ. Lignor. & alia calidiſſima præſcribunt.

§. LI. Sudores vero nocturni cum frequentes ſint ultimis morbi temporibus non inconſultum erit Refrig. jam citata ægro exhibere, præprimis vero tinct. ♂t. antiphtiſ. ex Sacch. ♄. ac ⊕l. ♂. ſemper optatum finem attulit, & quam Practici invenerunt probatam. Inunctiones, quas alii hic extollunt, parum æſtimo.

§. LII. Alvi fluxus ſi nimius ſit, plerumq; ut dictum, ſignum mortis præbet. Aſt quandoque à natura ſublevandi gratia intenditur; hoc cum fiat temerè non ſiſtendus, nec tamen permittamus, ut continuo fluat præcipuè, ſi vires nimium proſtratæ ſubſequantur. Valent vero Lap Cancr. Bol. Armen. Terra Vitrioli Balſam. ac alia, quæ in alvi profluvio alias uſurpantur. Si adſtricta nimis ſolvatur Clyſter. ex Emoll. ac Laxat paratis ac Dct. Paſſul. Prunor. Fol. Senn.

§. LIII. In ſiti, quæ ægrum ſæpe vexat Dct ex Hord. CC. Rad. Chin. Lign. Santal. ut & Emulſ. ex refrig. &c. ac Gelat. CC. & Ebor. &c. conducũt.

§. LIV. Vigiliis nimiis appropriata erunt interna papaverina Emulſ. ſcil. vel Iulepi, ac Opiata, (ſed in parciſſima doſi) Externe vero Linimenta ex Vngu. Alabaſtr. Ol. NM. Croc. Opio &c. vel Nodulus ex Flor. Viol. Nymph. Papav. Croc. &c. qui Naribus indatur, aut Pediluv. ex Fol Salic. Lactuc. Malv. Solan. Flor. Chamon Capit. Papav. &c. adhibeantur. Hæc ſunt, quæ de Affectu hoc, brevitati ſtudens, obſcuritatem quantum poſſibile deteſtans, dicere licuit. Errores (quos à me non alienos puto,) L. B. Eruditio partim emendabit, partim modeſtia excuſabit. DEO interim ſummo, à quo initium & finis, grates dictæ ſunto maxumæ. FINIS.